


D. O. M.

DE FRACTURÂ STERNI.

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

UO nobiliori munere inſigniuntur Corporis humani, *viſcera eò potentioribus muniuntur vallis ; cerebrum miraris?* Calvariam ſpectes : nunc ſeſe offert thorax vitalium ſtupenda officina, Regio corporis perpetuò mobilis, in quâ cor nobiliſſimum circulationis centrum, pulmo laxiſſimum & molliſſimum ſanguificationis inſtrumentum, continentium partium præſidio & tutelâ, tam mirabiles edunt motus. Duplici igitur modo conſideranda venit pectoris fabrica, ſcilicet, relativè ad partes continentes vel ad contentas ; tanta autopſiæ committere vetat inſtituti ratio : de Sterni fracturâ agentibus, hujus oſſis figura, ſitus, ſubſtantia, connectiones & uſus ſufficientem præbent admirationis anſam.

Conica illa cavitas collum inter & abdomen ſita, thorax ſive pectus dicitur. Hanc efformant partes oſſeæ, cartilaginoſæ, muſculoſæ, membranaceæ, vaſaque omnis generis. Clauditur ſuperiùs claviculis, aſperâ arteriâ, gulâ, venis jugularibus, arteriis carotidibus, thimo, &c,

inferiùs diaphragmate; firmatur posteriùs vertebris dorsalibus, anteriùs Sterno & cartilaginibus costarum, à lateribus costis in veras distinctis & spurias; hanc cingunt musculi varii & tegumenta corporis communia.

Sterni nomine intelligitur os longum, planum, umbonis in modum cordi ac vitalibus contentis objectum, indè scutum cordis, etiam pectoris os, Græcis, στέρνον στῆθος, ξιφοειδὲς, Στέρνον quasi firmum, quòd sub hoc osse mentis esse firmitudinem putarent; hinc est quod latini cordatos vocarint: eò respicit horatius: *non tu corpus eras sine pectore?* Tribus constat in adultis partibus, in infantibus sex; verùm quoniam harmoniæ intermediæ major pars paulatìm oblitteratur, pro uno considerandumvenit. Hoc autem interiùs modicè excavatum, exteriùs paululum protuberans, partìm ut firmiùs esset, partìm ut rotunditati pectoris quantùm posset conferret; superiùs latius, paulatim, descendendo angustatur; parte superiore quâ radicem sive initium tangit colli, ipso sui medio semilunatum ostendit sinum quem utrinque claviculæ claudunt: Hic peculiari voce σφαγὴ Græcis, Latinis jugulum sic dictum quòd vulnera hîc incidentia certò jugulent; undè Virgilius: *Hæc loquitur, jugulo que haud inscius accipit Ensem.*

Parti jugulo perpendiculariter oppositæ adhæret cartilago, insigni ξιφοειδὴς nomine distincta quam Latini mucronatam, ensiformem, gladialem vocant respectù figuræ; hanç verò alii respectivè ad usus, clipealem & scutum stomachi denominant: Pro parte ossessit in adultis, sed vix in totum nisi senioribus.

Laterales Sterni partes septem foveolis insigniuntur & in sinu suo fovent extremitates cartilaginum septem costarum sequenti ordine: scilicet primæ costæ cartilago intimè, propè claviculæ artron, superiori Sterni parti connectitur; secundæ costæ cartilago insculpta reperitur inter primæ portionis Sterni & secundæ extrema contigua; Sequentes verò ut sequuntur eò sunt ad invicem proximiores. Hæ porrò articulationes in infantibus, mobilitate & sinoviâ gaudent, in adultis verò, præsertim senibus, quasi anchiloses naturales fiunt & unà conferruminantur.

Substantiam Sterni si respicias, mollis ea, fungosa, meditullio insignita ac levis est; hanc rem non nullis interdum ægris usui esse arbitratur celeberrimus Paaw, illis nempe quibus noxia materia sub Sterno, spatio mediastini intermedio collecta reperitur; sectione enim in Sternum instituta, illis succurrere solet; at verò ob fungosam consistentiam, minori negotio perforari potest.

Connectitur Sternum anteriùs musculis pectoralibus, obliquis externis & rectis abdominalibus, posteriùs musculo triangulari Sterni dicto, plevræ & mediastino; superiùs musculis Sterno-mastoideis, sterno-hyoideis, sterno-tiroideis, inferiùs diaphragmati, obliquis

assendentibus & transversis abdominis, & à lateribus costarum cartilaginibus, earumque musculis & ligamentis.

Tres habet Sternon usus 1°. ut cordi ac vitalibus propugnaculo sit; 2°. ut costas sibi invicem firmiter devinciat; 3°. ut mediastini fulciat membranas, eâ ratione impediens ne pericardium in cor se præcipitans, ejus motui impedimento existat.

Soluta cohæsio in partibus Sterni à causâ contundente fractura audit: hæc plerùmque gravissimis stipata symptomatibus difficilè sensibus percipitur nisi recentissima; factâ enim in partibus aponevroticis Sternum ambientibus contusione, sequitur ingurgitatio vehemens quæ in dignoscendâ fracturâ digitos fallit.

Duplici modo considerari potest Sterni fractura 1°. quatenùs simplex est quod infrequens; vel quatenùs composita aut complicata quod sæpiùs accidit; vix enim frangi potest sternum quin arteriæ & venæ sub eo latentes lædantur aut disrumpantur, proindèque pectoris dolores, spirandi difficultas, tussis, sanguinis intrà mediastini lamellas aut in cavum thoracis profusio, dispnæa, &c. oriantur.

Omnia instrumenta contundentia aut dura sive immissa, sive resistentia inter hujus fracturæ causas annumerari solent; undè ictus, lapsus, contusiones, glandes plombeæ, aliaque ex machinis ignivomis corpora frequentiorem huic malo præbent ansam.

Dignoscitur sterni fractura primo instanti fracturæ, inæqualitate, mobilitate partium & crepitatione quæ digitis admotis persentitur; sed mox, grassante ingurgitatione, urgentibus pectoris doloribus, spirandi difficultate, febre, hæmophtisi, cardialgiâ aliisque gravissimis symptomatibus statuenda diagnosis.

In genere mali ominis est Sterni fractura; nam quæ simplicissima, fronte primâ, videtur, plurimis, ratione substantiæ ossis mollioris & spongiosæ potest accidentibus stipari: si enim liquidum os illud permeans non gaudeat tenuitate & mobilitate necessariâ, brevi stagnabit; à stagnatione acris fiet, ab acredine orietur destructio lamellarum meditullium constituentium; proindèque caries in osse cylindrico & solidiore mala, sed in extremitatibus ossium ut & in Sterno pessima & vix sanabilis: desumitur quoque prognosis à causâ & accidentibus, quæ enim ab instrumentis ignivomis fit, vix ullam admittit spem curationis.

In curatione tria potissimum attendenda sunt 1°. ut fragmenta ritè ad invicem coadunentur, 2°. ut debitâ fasciatione firmentur, 3°. ut accidentia præsentia debellentur, futura que præcaveantur. Repositio & coadunatio fragmentorum in fracturâ Sterni, licet plurimis tentanda modis, non itâ facilis; è regione fracturæ pulvinar duriusculum aut panem tanquam corpus durum ægro decumbenti imponendum suadet. Juncker. (*a*) interim minister humeros deprimit, Chi-

(*a*) Conspect. Chirurg. pag. 451.

rurgus utrinque costas comprimit; æger interdùm aerem retinet & sic ossa sæpiùs in situm naturalem reponuntur. Ægrum in ventre decumbi jubet Joannes de Vigo (*a*) imposito sub humero duplici pulvinari duriusculo; tunc scapulam graviter premat Chirurgus donec fragmenta in suas sedes reponantur, & ope digitorum coadunentur; sed contingere quandoque potest ut commendata artificia parùm sint, præsertìm si symptomata urgeant; cutem igitur decussatim contra incidere ne dubites, nudatasque Sterni partes vel per vectem quem elevatorium vocant, vel per terebram leniter priùs intortam sursùm versùs attollere propera. (*b*)

Si verò ab accidentium sævitiâ, sanguinis profusione, vel intrà mediastini lamellas (quod raro propter frequentiorem mediastini situm in latere sinistro Sterni, ut egregiè Demonstrat DD. de Senac (*c*) & autopsiâ patet) vel quod frequentiùs accidit in ipsum thoracis cavum sanguis pus, alii-ve liquores stagnent; si priùs, inferiorem Sterni partem à latere modiolo terebrandam in adultis, in junioribus enìm scalpellum ad id sufficiet; si posteriùs ad empyema confugiendum arbitramur.

Partium deligatio mediantibus spleniis vino & spiritu vini calido madentibus, additis mantile & scapulari, in simplici fracturâ perficitur; in complicatâ verò, pro accidentium naturâ differt; & in genere petitur à regulis de pectoris vulneribus traditis.

(*a*) Lib. VI. de Fracturis pag. *866*.

(*b*) Illustriss. DD. de la Martiniere, tantam adhibuit solertiam in curandâ sterni fracturâ, ut licet sublatis plurimis fragmentis, cùm videretur arteria mammaris interna pulsans; ilæsâ temen, convaluerit æger.

Huic Methodo assentire videntur Heyster Inst Chirurg. Lib. II. Cap. VI. pag. 196. Goueyus Chirurg. ver. pag. 111. Petitus Lib. II. de morb. oss. Cap. V. pag. 100. ubi de Sterni fracturâ. Platner Inst. Chirurg. pag. 738. §. 1266.

(*c*) Tractat. de Corde Tom. 1. pag. 4.

Has Theses, Deo Duce, & Præside M. JOANNE-CLAUDIO MERTRUD, Artium & Chirurgiæ Magistro, *tueri conabitur* Franciscus Rojare, *Parisinus*, *Artium Liberalium*, *in Almâ Universitate Parisiensi*, *Magister & Nosocomii Generalis Parisiensis in Domo dictâ* Bicêtre, *Chirurgus Præcipuus*.

PARISIIS,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 10â *Octobris à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam. Anno R. S. H.* 1761.

PRO ACTU PUBLICO

ET SOLEMNI COOPTATIONE

Typis P. Al. Le Prieur, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi, viâ San-Jacobeâ, sub signo Olivæ. 1761.